



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. Utrùm peccatorum remissio sit effectus formalis primarius, an verò
secundarius tantùm inhærentis justitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ARTICULUS VII.

Utrum peccatorum remissio sit effectus formalis primarius, an vero secundarius tantum inherens iustitia.

RESPONSIO.

Peccatorum remissio est effectus formalis secundarius inherens iustitia.

Prob. Illud est effectus formalis secundarius formae, quod eatenus est à forma, quatenus ab ea exigitur, & ad ejus exigentiam ponitur. Atqui remissio peccatorum sic est ab inherente iustitia. Ergo, &c. Major constat. *Prob. min.* Nam vel remissio peccatorum sic est ab inherente iustitia, vel inherens iustitia per se ipsam formaliter & immediatè est ipsa remissio peccatorum: non enim tertius modus excogitari potest, quo peccatorum remissio sit effectus formalis iustitiae inherens. Atqui dici non potest, quòd inherens iustitia sit per se ipsam formaliter & immediatè ipsa remissio peccatorum: alioqui remissio peccatorum & infusio iustitiae non essent diversae mutationes, & distincta beneficia, quod evidenter repugnat Tridentino, dicenti sess. 6. c. 7. justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & renovationem interioris hominis per infusionem gratiae & donorum; item hominem in justificatione cum remissione peccatorum infusus accipere fidem, spem & charitatem, quae inherenti iustitiam constituunt. Ergo, &c.

Obj. 1. Si iustitia inherens non tollit peccatum per se ipsam formaliter & immediatè, praefer illam requiritur novus favor, ut peccatum tollatur. Falsum conf. Ergo, &c. *Nego min. Probabis.* Nam si praefer iustitiam nobis inherenti, requiritur novus favor, ut peccatum tollatur, non est in nobis vera & perfecta iustitia, sed imperfecta tantum & inchoata. Consequens manifestè repugnat doctrinae Catholicae. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Itaque licet inherens nobis iustitia non tollat peccatum, nisi mediante novo favore, sibi superaddito, tamen vera & perfecta iustitia est, quia per se sola ad justificationem nostram sufficientissima est in ratione ratione causae formalis, & sic justificationis nostrae causa totalis est in ratione causae formalis; quatenus ea praecise posita, formaliter ponitur, vel exigitur id totum, quod ad justificationem nostram intrinsecè pertinet. Unde praefer illam, ad hoc, ut verè & perfectè justificemur, nihil aliud sive intrinsecum, sive extrinsecum, sed nobis imputatum, in ratione causae formalis requiritur. Haec autem doctrina planè diversa est à dogmate haereticorum, imò & aliquorum Catholicorum, asserentium praefer iustitiam nobis inherenti, iustitiam Christi, nobis imputatam, ut causam formalem, requiri ad justificationem nostram.

Dices. Favor ille, quem praefer inherenti nobis iustitiam requirimus ad remissionem peccati, tam est causa formalis hujus remissionis, quam inherens nobis iustitia. Ergo, &c. *Neg. ant. Prob.* Haec remissio tam est à favore illo, quam est ab inherente nobis iustitia. Ergo, &c. *R. dist. ant.* Haec remissio tam est sed diverso modo à favore illo, &c. *C. ant.* Tam est & eodem modo, *N. ant. & conf.*

Nota. Favor ille, qui praefer inherenti nobis iustitiam requiritur ad remissionem peccati, est actus divinae voluntatis, quo Deus secundum exigentiam inherens nobis iustitiae misericorditer cedit jure, quod habet ad indignandum peccatori propter peccatum ab eo admissum, & cedendo jure suo, delet peccatum, quatenus in ordine ad justum Dei adversus hominem odium, peccatum jam se habet perinde in aestimatione morali, ac nunquam fuisset admissum; nec jam Deus magis potest odisse hominem propter peccatum ab eo admissum, quam si nunquam illud admisisset.

Peccati igitur remissio est activè à favore superaddito inherenti nobis iustitiae, & sic peccati remissio est effectus non formalis, sed affectivus, vel

quasi effectivus favoris superadditi inherenti nobis iustitiae. Unde favor superadditus inherenti nobis iustitiae, non est causa formalis, sed efficiens, vel quasi efficiens remissionis peccati, quae cum non activè, sed exigitivè tantum sit ab inherente nobis iustitia, illius effectus est, non effectivus, sed formalis tantum, adeoque illam, & quidem solam, ut causam, sui formalem agnoscit.

Dices. Si praefer inherenti iustitiam requiritur novus favor ad remissionem peccati, inherens iustitia non est vera mundities animae. *R. neg.* Itaque inherens iustitia est vera mundities animae: non per se ipsam formaliter immediatè exigendo animam mundando per se ipsam formaliter exigendo, ut anima, cui infunditur, propter meritum Christi mundetur à peccati sordibus. Deo autem secundum hanc ejus exigentiam re ipsa à peccati sordibus animam effectivè vel quasi effectivè mundante, ipsam suam causalitatem formalem exercet circa mundationem animae, & ita ad eam per modum causae formalis concurrat, eamque verè causat formaliter, licet non per se immediatè, sed medio novo favore, ei superaddito.

Dices. Si praefer inherenti iustitiam requiritur novus favor ad deletionem peccati, inherens iustitia poterit esse cum peccato habituali. *R. 1.* posse absolute peccatum habituale manere cum donis illis supernaturalibus, in quibus consistit iustitia inherens. Ratio est, quia dona illa, etiam simul sumpta, non habent absolutam & omnimodam impossibilitatem cum peccato habituali, sed moralem tantum: neque donis illis in peccatore existentibus, Deus necessitatur ad peccata ei condonanda, sed liberè omnino ac misericorditer ea condonat, quamvis secundum donorum illorum exigentiam, & moralem eorum cum habituali peccato repugnantiam.

R. 2. Secundum legem ordinariam, & ordinem providentiae à Deo sapienter institutum, non posse peccatum habituale manere cum inherente iustitia. Ratio est, quia habitualis charitas, quae est praecipua inherens iustitiae pars, secundum legem ordinariam nemini infunditur, quin perfectè uniatur Christo, & vivum ejus membrum efficiatur; adeoque de lege ordinaria infusio charitatis habitualis nunquam esse potest sine remissione peccatorum mortalium; cum sine hac remissione peccatore perfectè uniti cum Christo, & vivum illius membrum effici repugnet.

Obj. 2. Possibile est aliquod gratiae creatae donum, quod per se formaliter immediatè ac necessarè peccatum excludat. Atqui talem esse iustitiam illam, quae in justificatione donatur omnino videtur esse credendum. Ergo, &c. *R. neg. maj.* Non enim possibile est ullum gratiae creatae donum, quod superet vel etiam exaequet vim satisfactionis personae divinae in ordine ad tollendum peccatum; quae tamen satisfactio, quamvis infiniti simpliciter valoris, non potest peccatum tollere, nisi à Deo offenso liberaliter accipitur, & sic non potest peccatum tollere sine favore aliquo, sibi superaddito.

Obj. 3. Si iustitia inherens non delet peccatum, nisi quatenus exigit ejus remissionem, & Deus re ipsa secundum hanc exigentiam remittit illud, iustitia inherens non magis est forma sanctificans, quam actus charitatis: actus enim charitatis non minus exigit peccatum condonari, quam ipsa charitas habitualis, per quam secundum nos iustitia inherens exigit condonari peccatum, ut modò videbitur. Falsum conf. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Ad prob. R. etiam neg. Ratio negandi est, quia actus charitatis, qualis habetur in via, proportionatur cognitioni, quam habemus de Deo per fidem, & quae proinde imperfecta est; unde actus charitatis, qualis habetur in via, longè minoris est excellentiae, quam ipsa charitas habitualis, cuius est actus, & quae ita praestans est naturae divinae participatio, ut apta sit ad reddendum hominem proportionatum amicitiae & adoptioni Dei, illumque constituat in statu divino, cui connaturalis est puritas ab omni labe mortali, quam proinde exigit.

ARTI.